



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Ludovici Richeomi Societatis Ies. Valedictio Animæ  
Deuotæ**

**Richeome, Louis**

**Coloniæ, 1610**

Quomodo homo quam maximè similem se Deo facere possit. Colloq. XLII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50753](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50753)

*Mat. 23.* audire meruit & appellari. Abel ve-  
*35.* rò propter animæ naturalia dona,  
*Luc. 11.* effigiem Dei circumferebat, & ve-  
*51.* ro ad similitudinem illius accede-  
*Heb. 11.* bat: quia gratia diuina non desti-  
*4.* tuebatur, & munera naturalia & su-  
 pernaturalia in se congesta rectè ad-  
 hibens indies seipso perfectior effi-  
 ciebatur. Nunc autem glorificata a-  
 nima tertiam quoque imaginem  
*1. Ioan. 3.* præ se fert, quæ gloriæ diuinæ simi-  
*2.* litudo illa est, de qua Apostolus ait.  
 Similes Deo efficiemur, quia cum  
 visuri sumus sicut est.

*Quomodo homo quam maximè simi-  
 lem se Deo facere possit.*

COLLOQVIUM XLII.

**PHILO.** **P**ATET nunc itaque hominem  
 in anima sua per tres istas fa-  
 cultates, imaginem sui crea-  
 toris circumferre, & rectè legitime-  
 que eas adhibendo & virtutibus in-  
 cumbendo illud effectum dare, vt  
 quam maximè ad conditoris sui si-  
 militudinem accedat. Nam dum In-  
 tellectum, Memoriam ac Volunta-  
 tem

tem ad Dei honorem promouendum excitat, bono publico studet, circa virtutes occupatur, studijs sacris incumbit, ac ea postea in effectum deducere nititur, reuera Deū in operibus suis imitatur. Hinc enim omnino est quod caelestis ille Pater toties nos inuitat vt nos tractemus, quemadmodum ipse se adhibuit atque tractauit. *Sancti estote* Leu. 19. 2.  
*quia ego sanctus sum: & Filius Dei.* 2.  
*Estote perfecti, sicut & pater vester* Matt. 5. 48.  
*perfectus est.* Illud namque singulari caelestis Numinis beneficio homini obigit, vt si rectè imagine ista quam Deus in illius anima coloribus immortalibus pinxit & adumbravit, vtatur, si fidem illius amplectatur, vitam suam ad diuinarum legum normam comparet: quodammodo similis Deo efficiatur, non tantum quoad pulchritudinem illam spiritualem, sed etiam quoad opera & actiones: quemadmodum plurimos vitæ sanctimonia Illustres, actu hac similitudine præditos, diuina plane & admiranda patrasse scimus, signa illa reuera euentissima omnipo-

tentis Artificis ac Creatoris. Sube-  
 gerant & acuerant illi adeo suos  
 Intellectus, cælum vt ipsum pene-  
 trarent, & maximè sublimia myste-  
 ria peruiderent. Imperauit eorum  
 Voluntas cælis, dominata est Ele-  
 mentis, subiecit Mortem, & vni-  
 uersam naturam sibi subiugauit.  
 Iam Memoria æternis verustatis te-  
 nebris inuoluta radijs suis detexit  
 atque protraxit, & quæ innumera-  
 bili annorum serie interiecta acci-  
 derunt, iucundissimè reperijt, & ac-  
 curatissimè obseruauit. Iosue so-  
 lem in medio cæli supplantauit, &  
 nequidquam properantem repres-  
 sit ac retardauit: Helias admirabili  
 zelo æstuans, ignem cælo deuoca-  
 uit: Moyses horrendo tonitru nu-  
 bes dissilire, mare findi & aperiri,  
 terræ viscera pandi atque diduci,  
 & iam fugientem imò exoletam  
 temporum à creatione memoriam  
 reuocauit, & in ordinem sapientif-  
 simè digessit: Elizeus vita iam de-  
 functos ad communis lucis vsuram  
 resuscitauit: Apostoli, & quos post  
 IESVM Christum singularis vitæ  
 sancti.

*Iosue 10.  
12. 13.*

*4. Reg.  
10. 12.*

*Exod 19.  
8. 9. &  
6. 20 18.*

*Exod. 14.  
21.*

*Num. 16.  
31. 32. 33.*

*4. Reg. 4.  
35.*

sanctimonia beatorum numero ad-  
 scripsit, ecquid obsecro designa-  
 runt, aut quidnam potius non de-  
 signarunt? an non vt semidei vitam *Mar. 16.*  
 traduxerunt, circumferentes simi- *17.*  
 litudinem supremæ sapientiæ, po- *Ioan. 14.*  
 tentiæ ac bonitatis? Ipse reuera pro- *12.*  
 toplastus Adam hac similitudine  
 quam per iustitiam originale[m] pos-  
 sidebat, si in timore Dei perstitisset,  
 confirmationem gratiæ accepisset:  
 & donationem suorum bonorum  
 naturalium ac supernaturalium, ra-  
 tam fecisset, quam sacrum illud di-  
 uinitatis Concilium & Parlamen-  
 tum innuerat, dicens: *Faciamus* *Genes. 1.*  
*nobis hominem ad imaginem & simi-* *26.*  
*litudinem nostram:* imperasset ille  
 cum filiis suis vniuersis creaturis,  
 vt Rex, vt Deus, & tempore à cæ-  
 lesti Numine præfixo, ad æternas il-  
 las beatorum ciuium sedes euolaf-  
 set, accepturus similitudinem glo-  
 riæ, absque pretio, absque tribu-  
 to, & vlllo mortis vecti-  
 gali.